



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Pernicies.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

**Q**uod si occasum identidem pingere procurassent, Crocodilum humi toto profusum corpore deliniabant: quippe quadam incubantis specie, sponte enim ad ima quæque ferri gaudent, immerfiq; fluviiis humi libenter obrepunt, soloque adhærescunt, Delphinorum & aliorum hostium metu, quod norunt quam molli tenuiq; cute in ventre sint. Dies præterea maxima ex parte agunt in terra, noctes in aqua, teporis utrumq; ratione: noctu enim tepidiorem aquam experiuntur. Ita solem imitari videntur, qui nobis emergere matutino tempore, vespertino immergi videtur. Adhæc Crocodilo visus in aqua hebes, extra acerrimus: ita illi præcipue accidit, Solis occasu obscura omnia, exortu clara atque perspicua redduntur.

TENEBRÆ FUNESTUMVE. CAP. V.

**T**enebras autem (quo vocabulo tam funus, atratumque pomparum apparatus, quam mortem ipsam, quæ lumina claudit decentium, intelligebant) significare cum adhibuisset, Crocodili caudam faciebant: is enim simulac animal aliquod ceperit, caudæ opera utitur ad exanimandum: ea enim captivum vincit, ac mox plectendo conficit. Vis si quidem omnis, ac omne Crocodili robur, in cauda situm. Id vero commode figurabitur, si abditus in specu, sola exporrecta cauda pictus fuerit: nam & illi proprium est spelæa subire, in quibus quatuor interdum menses hyemis inedia pertinaci delitescit, unde forte tenebrarum deductum est significatum. Sedenim hæc etiam ad eam facere opinionem possunt, quod ideo Crocodilum colerent, quia hinc etiam divina quædam specularentur. Nam quod Dei ipsius & caput & substantia imperscrutabilia sint, cum Crocodilo faciunt in specu latitante: quare Seraphim faciem atque pedes Dei velare ad arcam Domini dicuntur, quod divinæ majestatis principium atque finem verbis nemo valeat explicare, neque picturatione ulla declarare, definire vero nulla prorsus circumscriptione quispiam aggrediatur. Quam vero de Deo cognitionem profitemur, eam ex operibus perpendimus, quod à posterioribus diceret Aristoteles. Quare Gentes admonebat Jesus Deus noster: *Si nolitis mihi credere, credite operibus quæ ego facio.* Ita igitur sapientes illi Crocodilum imaginati sunt in specu, cauda tantum exerta absconditum. Nam Psalm. etiam 17. dicitur Deus posuisse tenebras latibulum suum, ut plane significetur, obscura multis & incognita esse, quæ de Deo piis tantum innotuerunt: utpote quæ Deus ipse occultat in tenebris, & ut Origenes Adamantius ait, manifestum est raro admodum pervenisse ad homines Dei cognitionem, idque paucissimis contigisse: sive quod ob mentis hebetudinem ad ejus micantissimæ lucis radios cæcutimus, sive quod inquinata mens ejus non recipit puritatem, sive quod humanum hoc corpus adeo sæculentum animum etiam obturat, ne possit spiritum ejus admittere, sive quod intellectus nostri virtus sit adeo imbecilla, ut immensitatem eam nulla capere possit conjectura. Nam & de Moysæ legimus, eum, ubi Deus esset, caliginem subiisse. Deiq; judicium Prophetæ Abyssum vocare consueverunt. Quin & Jesus ipse: *Nemo, inquit, cognovit Filium nisi Pater, nec Patrem nisi Filius, & cui Filius revelavit,* & in hanc sententiam passim à nostris plurima. Eaque de causa Joannes Filium lucem ponit, quia is & seipsum illuminat, & Patrem in conspicuo ponit, qui adhuc lateret in tenebris, nisi per Filii manifestationem innotesceret. Nobis vero nisi lux illa orta esset, adhuc in umbrosa mortis religione federemus, diceret Esaias. Unde autem, nisi divino dispensante Spiritu, imaginatus est Orpheus dicere, *Nox quæ lucem emittit?* Quod & Psalmographus: *Emitte lucem tuam & veritatem tuam.* Tabernacula enim Dei tenebræ & latibulum, uti Divinæ literæ passim memorant. Sed plura super hoc dicturi sumus in Ignis commentario, ubi faces.

PERNICIES. CAP. VI.

**I**n universum autem per id animal sculptum, malum, damnumve aut perniciem aliis illata, si Diodoro credimus, apud Aegyptios significabatur, omninoque in explebilis rapacitatis hieroglyphicum habebatur: animal enim est multæ rapinæ, unguibus ad discerpendum promptissimis, mori uero aspero tetroque, ut quod dentibus lacerat, numquam sanetur. Impune vero inter eos enatat, qui se adipe ejus feræ perunxerit. Quod factitasse Firmum Aegypti tyrannum, qui oppressus est ab Aureliano, testimonio Aurelii Festivi, Vopiscus tradit.